

pis adolescens, qui atrocissima subire tormenta maluit, quam integratis pudicitiaeque detrimentum facere, Episcopi item Adalbertus Pragensis Rutennorum Apostolus, Bernardus Hildesiensis, Conradus Constantiensis, Dunstanus Cantuariensis, Hebertus Coloniensis, Lambertus Ultrajectensis, Oswaldus Vigorniensis; Sisenandus Compostellanus, Udalricus Augustanus, Wolfgangus Ratisbonensis, Elias & Quarinus Vallesiæ comites & Episcopi: Romualdus ejusque discipuli Joannes, Benedictus & Bonifacius Imperatori Othoni III. sanguine junctus, Prussorum & Slavorum Apostolus, Berno, Odo, Ademarus, Majolus & Odilo Abbates Cluniacenses &c.

Doctrina celebriores fuere Regino Abbas Pruniensis, Leo Imperator, *Sapiens cognominatus*, Simeon Metaphrastes, SS. Odo & Odilo, Atto Vercellensis Episcopus, Luitprandus Episcopus Cremonensis, cuius historiam Germanus quidam scriptor anonymous continuasse videtur &c.

10. *Num hoc quoque seculum illustratum est miraculis?*

Hæc nec isto, nec alio unquam seculo defuere.

1. Dynasta quidam dæmoniacus ex Othonis M. comitatu Romæ solo vinculorum Petri contactu à stygio obfessore extemplo manumissus est.
2. In synodo Vintoniensi Christi è cruce pendentis effigies ad S. Dunstani preces pro Monachis probis contra improbos Clericos disertè loqui audita est.
3. SS. Udalricus, Conradus, Majolus, Nilus Abbas &c. claruere miraculis, quorum complura Regino & Frodoadus Abbas, aliique litteris mandarunt.